



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac  
subsidium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

§. 14. De Detractione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

tibi est tam jucunda presentia, tam gratus aspectus, habitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognita penitus regionem, occurrentia tibi catervatim rursus terretima illa monstra videbis? Quid tibi in die tam necessitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus paratis ad escam? Quis consolabitur? Quis deducet? Imò moneatur, ut hanc suam miseriam ex aliorum peccatorum vita cognoscere studeat, sicut S. Gregorius suavitè his verbis: Scribitur in Job: Considerate Semras Theman, Austri, inquam, sive teporis, quia quæ nobis minùs dijudicanda credimus, quàm sint turpi in aliorum actibus cognoscimus. Sicque fit, ut semetipsum mens redeat, & agere, quod reprehendit, erubescat: Quasi enim à speculo fœda facies displicet, cum mens à vita simili, in seipsa, quæ aversetur, videt. Denique si Tepiditas hæc nimis actas radices fixisse videtur, imitetur exemplum illorum Medicorum, qui in simili Casu longiorem curam per acidulas vel alias Medicinas suadent, hortenturque, ut in solitudinem Spiritualem secedens, Sacram Exercitationibus vacet, & tum ex Peccatorum suorum novissimorumque seria meditatione, tum ex vita & Passione Christi considerata, aliisque piis exercitiis hoc secessu obiri solitis ignem & fervorem caritatis in se accendat, quo tam noxiam tepeditatem fuget.

## §. XIV.

*De Detractione.*

- I. Est alienæ Famæ injusta denigratio; de qua sequentia nôsse debet Asceta.
- II. Primum est, ut bene cognoscat, quantum studio

studio caveri debeat ab ijs, qui perfectionis sunt studiosi, quod quidem ex S. Paulino Episcopo discet sic loquente: Est sanè tale hoc vitium, quod vel in primis extingui debeat, & ab ijs, qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem mentem & levem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Beatusque est, qui contra hoc vitium ita se armaverit, ut apud eum detrahere nemo audeat. Sanctus Chrysostomus certè intrepidè dixit: Hoc vitio neque sæcularium, neque Monachorum ullum facilè invenes liberum.

III. Ut bene cognoscat modum extirpandi hoc vitium tum in se, tum in aliis, qui quidem optimus est, si & radix illius, de qua superiori §. dictum, extirpetur, & è contrario caritatis fraternæ studium magna cum sollicitudine suscipiatur; si enim hæc firmas semel in animo radices fixerit, facilè is ad vitium detractionis utpote summè caritati illi contrarium totis viribus exterminandum impelletur.

IV. Ut solidum quoque modum sciat, ferendi detractiones; qui quidem optimè à pio Asceta docetur, dum in Persona Christi sic loquitur: Si attendis, quid apud te sis intus, non curabis, quid de te loquantur homines foris. Homo videt in facie, DEUS autem in corde. Homo considerat actus, DEUS verò pensat intentiones. Erige ergo cor tuum in cælum, & non contristabit te contemptus hominum in terris.

V. Ut sciat, quando de alterius peccato sermo institui possit, aut debeat, nimirum in duobus casibus. 1. Cùm res jam percubuit in vulgus promulgata, & passim in sermone cœpit esse. 2. Cùm ei  
dici;

dicitur, qui peccantem castigare & juvare potest. ad hoc faciendum sæpe etiam obstringimur, ut S. Thomas docet, ne ulcus occultatum putrescat.

## §. XV.

*De Judicio temerario.*

I. Est actus Intellectûs, quo alienos mores facta sine legitima autoritate & causa judicamus: quo quinque specialiter noranda sunt Ascetæ.

II. Primum est, ut bene cognoscat primatum fundamentum, & rationem, ob quam neminem judicare temerè oportet, quam quidem S. Hieronymus sequentibus verbis indicavit: Non enim conscientiam tebras hominibus scire, aut nudare permissum est, teste Scriptura: Homo in facie videt, DEUS solus in tima & secreta circumspicit, sed manifesta est Domini monentis: à fructibus eorum cognoscuntur eos.

III. Secundum est, ut bene cognoscat, quantum ad verum sit judicium verè sit temerarium, tum scilicet, quando non ex certæ rationis dictamine, sed ex affectu & corrupta passione Proximus judicatur.

IV. Tertium est, ut pariter bene cognoscat, quantum ad vitium specialiter ab Asceta perfectioris studio sit fugiendum; id quod à S. Raymundo discet, qui, cum plura alia monita vice testamenti filiis & filiabus spiritualibus reliquisset, inter alia specialiter hortatus est, ne quem unquam judicarent, quæque, hoc esse necessarium ad veram mentis puritatem, ut in omnibus DEI voluntati attenderetur, qui omnino permittit ad bonum finem.

V. Quæ